



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Cap. XVIII. De Bulla compositionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

nimiam, iam non est opus alia secunda, multo minus tertia &c.

Respond. Sanè cum fructu pluries Bullæ sumuntur, quia possunt concurrere circumstantiæ, ob quas per priores Bullas non acquiratur indulgentiarum si accidat, non esse causam sufficientem, ad illam indulgentiam concedendam, si non sit in gratia, qui Bullam suscipit, applicatque (nam non est, nisi in opinione, quod in prædicto non requiratur gratia) denique Deus non acceptat (est enim in simili opinione, an Deus infallibiliter nec ne acceptet, ut §. præced. n. 3. indicavimus.) Addit Castropalaus de Bull. p. 1. n. 4. neminem scire posse, an opera ad Indulgentiam requisita ipse exequatur, prout Pontifex intendit, & necessarium est ad Indulgentiæ valorem, & rursus neminem scire an, etiam te ignorante, elemosina erogata pro Bulla sit aliena, vel an Depositarius, seu Distributor tibi dederit Bullam alterius; vel, an ipse sit actor, simulator, vel non legitimus Minister. Præstabit igitur iterata Bullarum acceptio, non pro defunctis modo, verumetiam pro viventibus. Quod dicitur de his Indulgentiis per Bullam: dic universaliter, de aliis Indulgentiis prudenter nimirum eas, pluries, & pluries sumi. Hæc tenus de Bulla defunctorum latius.

CAPUT XVII.

De Bulla Compositionis.

1. Per hanc Bullam concedit Pontifex fidelibus etiam Religiosis: ut vult Castrop. de Cru. p. ultimo, ipse initio: si quidem diximus supra c. 3. §. 2. n. 12. Religiosos posse omnibus Bullæ Cruciatæ Privilegiis frui, præter usum lacticiuorum, & quæ ad Sacramentum Pœnitent. pertinent, ut si forte habeant aliquid ex bonis male ablatis, vel retentis, facta elemosyna, postisque conditionibus mox explicandis, possint illa omnia sibi tuto conscientia retinere.

Huius autem concessionis iustitia & honestas ut etiam potestatis Pontificis ad illam exhibendam hic à nobis, qui solum ad praxim intendimus tanquam certa supponitur, videnda si placeat apud Trullench. Bardi, Lud. à Cruce, aliosque huius Bullæ diligentes explanatores.

Porro verba Pontificis hanc compositionem concedentis hæc sunt. Et possit Commissarius componere super illicitè habitis, nec non super medietate legatorum omnium, quæ propter male ablata facta sunt, si Legatarij per annum in exactione negligentes fuerint, ac super illis quæ facta erunt (hoc est, quæ inveniantur esse iam facta) & quæ dicto anno durante fieri, si Legatarij inveniri non potuerunt, nec non super male ablatis, & per usurariam pravitatem, aut aliter male acquisitis, si in omnibus præmissis casibus, præterquam dicta annualis negligentia personæ, quibus restitutio, seu solutio facienda est (prestito per restitutorem iuramento de diligentia per eum facta pro inveniendo Legatario seu Creditore, & minime invento) non reperiantur; possit, inquam, Commissarius componere, & ita debitores liberari.

Et paulò post.

Ita etiam datur facultas eidem Commissario componendi cum eis, qui ad restitutionem fructuum ex omissione horarum Canonicarum tenentur, ita, ut quantitas compositionis, pro medietate Ecclesiæ, vel aliis locis quarum vel quorum ratione horas prædictas recitare debent, & pro altera medietate, in subventionem huius negotij deitur.

§. I. Explicatur Caput illud primum se componendi, id est super illicitè habitis, & super male ablatis, aut aliter male acquisitis.

1. Illicitè habitia seu retenta sunt, quæ quamvis sine peccato, propter bonam fidem, vel ob iustum contractum, vel ob aliud habita olim fuerint, suo tamen

Part. III.

tempore restituta non sunt. Male vero ablata sunt illa, quæ cum peccato, & iniustitia surrepta fuerint, nec domino reddita, quod posterius magis magisque enodare volens Pontifex addidit, & per usurariam pravitatem, aut aliter male acquisitis.

2. Pro his igitur format Generalem hanc Regulam Trullench. in expof. Bul. composil. §. c. 19. Compositio de qua loquimur, generaliter fieri potest in omni eventu in quo constat, restitutionem faciendam esse, ratione rei male acceptæ, vel iniuste retentionis, duabus conditionibus concurrentibus. Prima, ut, facta debita diligentia, dominus certus, aut eius hæres non appareat, (quam primam conditionem paulo post §. 5. nos illustrabimus.) Secunda, ut hæc bona ablata non fuerint ex confidentia huius Bullæ. De qua item conditione nonnulla nos addemus non multo post §. 7. n. 4.

3. Proferunt & illam aliam regulam Doctores apud eundem Trullench. ibid. l. 3. dub. 4. n. 4. Delugo d. 6. de infl. num. 134. Quotiescunque aliqua cedunt pauperibus, vel Locis Piis, hoc est, debent illis distribui, potest fieri compositio.

Signatè dictum est (cedunt) non vero dictum est (debentur) id quod sic explicat Andr. Mendo de. 35. de Bull. c. 2. n. 10. Si restitutio facienda sit Ecclesiæ (ait) ex eo quod fias aliqua in illam parata est non potest debitor componi per Bullas, quia à Pontifice, & Commissario non conceditur compositio de bonis, quæ certo domino debentur, at hic certus est dominus, nempe determinata illa Ecclesiæ. Nec conceditur de omnibus bonis pertinentibus ad pia opera, quorum Pontifex est administrator, sed de his, quæ non sunt ablata ab ipsis pijs operibus, & tamen restitutio esset ei facienda, vel quia dominus non est certus, vel quia bona turpiter acquisita sunt, & proprio domino non sunt reddenda. Hinc si quis abstinuisset bona pertinentia ad Ecclesiæ fabricam non posset per Bullam componi, sed deberet ipsi fabricæ restituere, &c.

Prædictarum Regularum ratio illa est, quia de his Pontifex Summus, ut administrator rerum etiam temporalium, quando ad bonum amandarum faciant, modo à Doctoribus latius explicato, potest disponere, atque adeo de illis compositionem concedere.

Iam vero, ut quæ sunt in titulo huius §. explicarentur, apposuit Commissarius Cruciatæ multos casus in ipso Summario vulgari, quod compositionem postulantibus distribuit, qui breviter sunt sequentes.

De a quistis cum peccato.

4. Et quidem quoad male ablata, quæ ex iniusta receptione, vel damnificatione debentur. Potest primo compositio expedi, (ait Commissarius) si Iudicis, si Advocati, si testes, si Notarij, si similes Officiales aliquid iniuste receperint, irant secundum regulas restitutionis restituere incertæ personæ obligentur; satisfacto semper illo, cui damnum fortasse ab ipsis illatum est. Nota aliquos Trull. l. c. 9. Henr. ex p. l. 7. c. 35. m. DD. compositionem hanc Iudicibus concedere solum super accepta ob administrationem iustitiæ in causis temporalibus; Sed Castropalaus de Bull. p. ult. ult. §. 2. n. 9. concedit, etiam in spiritualibus. Illam lege.

5. Secundo, si quis iniuste aliquid receperit, ut intecederet pro iniusta sententia, restituito semper damno parti læsæ.

6. Tercio, si in ludo per fraudem aliquid iniuste quis acquisierit ab eo quem nunc invenire non potest.

Nota, si tu forte luseris cum Beneficiario, vicerique illam partem superfluum, quamvis teneatur distribuere pauperibus, doceri à Delugo l. c. dictam partem deberi pauperibus, atque adeo posse, te de ea componi; at doceri à Bardi p. 3. r. 5. de c. 2. l. 3. pauperibus non deberi, neque componi te posse. Ratio huius posterioris sententiæ, quam libentius sequor, est, quia, cum sic hodie probabilis opinio Beneficiarium esse dominum,

Si etiam

etiam illorum bonorum, quæ ipsi sunt superflua, iam à te scitur dominus, puta Beneficiarius, ergo illi, non vero pauperibus restituere debes, si per fraudem vicisti. Quod si vicisti sine fraude, illa tibi retine, quia ea habuisti à domino suæ rei: esto Beneficiarius peccaverit, sic luendo, fortassis etiam, tu sciens cooperatus es cum illius peccato.

7. Quarto, si ob fidam paupertatem, vel similem fictionem aliquid recepisti, quod restituere obligeris.

8. Quinto, si quid debeas ob damnum, quod venando, piscando, pascendo, vel alio modo alicui intulisti, semper incerto eo, cui damnum illatum est.

9. Sexto, si honesta mulieri (non publica meretrice) aliquid ob turpem usum habuerit.

10. Septimo si per incertam venditionem, vel emptiorem, vel aliarum rerum, siue fraus fuerit in mensura, siue in alio, &c.

De acquisitis sine peccato, ubi de Inventis.

11. Quoad rem acceptam: Potest, primo, fieri compositio, si quis habeat pecuniam, vel aliud incerti domini apud se depositum.

12. Secundo, si ex contractu, vel quocumque alio capite aliquid quis incertæ personæ debeat.

13. Tercio, si quis aliquid habeat, quod casu invenit, nec sciri possit dominus: Hæc autem alicubi esse à Rege, & sub præcepto, vel excommunicatione à Pontifice applicata Ordinibus S. Mariæ de Mercede, vel Sanctissimæ Trinitatis ad redimendos Captivos, unde non posse de illis componi, contendit Lud. à Cruce de Bull. d. 3. d. 15. Verum nos sequimur alios Doctores Mend. de Bull. d. 33. c. 2. n. 12. citantem Nav. addentemque Mol. & Castrop. ad eam propendentes, cum quibus.

14. Dico primo, Casu inventa, si post debitam diligentiam inveniri dominus non potest, probabilissimum esse, posse ea sibi assertari ab Inventore cum intentione ea domino reddendi, si is comparuerit. Ratio est, quia nec ex iure naturæ, nec ex iure positivo probari potest oppositum, modo dictum animum habeat Inventor. Id fuisse probat Mendo l. c. n. 17.

Addit idem disp. 14. c. 17. n. 182. Idem esse de bonis naufragantium, eo ipso enim quod inveniri non potest eorum dominus, sunt æquæ bona inventa, & excommunicatio in Bulla Cœnæ solum loquitur, cognito, vel comparente domino.

15. Dico secundo cum Mendo d. d. d. 33. nec ullam esse in conscientia obligationem reddendi bona incerta inventa siue animata, siue inanimata, Cruciatæ, aut Prædictis Ordinibus. Ratio est quia Inventor ea licet, iuxta hanc opinionem retinet, non cadet in ipsum, nec præceptum, nec excommunicatio, quæ solum sunt lata iuxta aliam oppositam, quæ certè probabilis est.

16. Idem Mendo d. disp. 33. n. 23. docet, posita præscriptione (quæ ponitur post certum tempus à lege definitum de qua passim Iuriconsulti) non obligari inventorem reddere eam inventam domino comparenti, quia per præscriptionem legitimam is acquisivit rei dominium absolutum, sic concedentibus legibus Præscriptionis.

17. Sed difficilis mihi est hæc Decisio, ad legitimam enim præscriptionem requiritur, ut res à possidente teneatur tanquam sua absolute, & non nomine alterius; at hic inventor nomine domini possidet, dum eam retinet sub conditione donec dominus comparuerit, non vero absolute, & nomine suo. Sed redeamus ad nostra.

18. Ex dictis patet, te non indigere compositione pro prædictis inventis in nostra opinione, indigere autem in alia probabili, quam hic sequitur Commissarius.

19. Hi sunt prædicti casus in summario collecti, in quibus semper intellige, quando facta debita diligentia, ignorasset dominus, ut item semper intellige, quando is, qui ea habet, restituere obligatur. Quod advertitur, quia Commissarius in multis ex prædictis casibus cnu-

meratis, secutus est opinionem probabilem, quod illa bona restituenda sint, ut v. g. muliere dante vulnus sui corporis, & in rebus casu inventis, ut modo dictum est. &c. Nam cæterum quando adest opinio probabilis, quod restituenda non sint, potest quilibet hanc sequi, & sic de Bardi & Mendo latius in expositione huius Bullæ præter quidem agunt de casibus, quando prædicti obligantur restituere, quando non item: sed quia id est, arguendi ad alias materias, ideo ab his mihi abstinentiam hic omnino fuit.

§. II. Explicatur illud secundum Caput, super medietate legatorum.

1. EX figuratione casus id facilius docebitur. Tunc in fine vitæ cognoscens seu dubitans apud se esse summam centum v. g. aureorum ex male ablatis (ut exoneret suam conscientiam) legat Ecclesiæ S. Petri, vel Paulo pauperi summam illam. Accidit autem, ut illa Ecclesiæ, seu eius Rector, & pauper ille, fuerint negligentes per annum nequaquam exigentes à Titij heredibus eiusmodi legatum. Aio, hos Titij heredes posse super medietate huius legati, hoc est supra quinquaginta aureos se componere per hanc Bullam, data tamen alia medietate illi Ecclesiæ vel pauperi, legataris.

2. Nota autem hic primo, in hoc casu non requiri incertitudinem domini, nam in aliis requiritur (ut supra dictum est) dominum esse ignotum. Sicut etiam, non requiri dicitur §. 4. in omittente horas Canonicas. Quod autem etiam si notus sit dominus, possit hanc compositionem concedere Pontifex non solum pro legatis faciendis in illo anno post promulgationem Bullæ, quod concedunt omnes, verum etiam pro legatis iam factis ante Bullæ promulgationem, quod negat Delago, leg. apud Bardi etiam hoc posterius concedentem.

3. Nota secundo debere intercessisse negligentiam Legatarij, unde si eiusmodi legati notitiam sine sua culpa nequaquam is habuit, non currit adversus illum prædictus annus, nisi à die notitiæ legati.

4. Nota tertio, male ablata, pro quibus constituta diximus hæc legata, non debere esse facta ob conscientiam Bullæ, tunc enim, ut dictum est, compositio nulla conceditur.

5. Nota quarto, id quod advertam §. 7. n. 5.

6. Nota quinto, si summa medietatis legati excedat summam centum mille maravedis Hispaniarum, seu unciarum Sicularum 128. i. ar. 20. & gr. 6. (id quod mox explicabimus clarius §. 6.) de excessu debere compositionem immediate cum Commissario, si non excedat, summi posse tot Bullas quot §. 6. eodem definimus.

7. Porro, cum certum sit apud omnes, heredem, ne supprimat rem alterius, debere admonere legatarium de legato ipsi à defuncto relicto (si aliunde is non sciverit) ut à die notitiæ, ut diximus, currat prædictus annus, inquires, quemnam admonerebit, si legatum factum est pauperibus, vel pio loco in communi?

Respond. Admoneat Procuratorem pauperum vel Rectorem loci pii, vel Episcopum, vel breviter illum, qui curam habet de iis legataris, quibus defunctus voluit prodesse. Ita Mend. d. 34. c. 4. n. 56.

Inquires iterum. Si dicti Procuratores sint negligentes, unde post annum amittat locus pius v. g. m. d. curam legati ex eo, quod heres se composuit, ad quid Procuratores obligabuntur?

Respond. sine dubio ad restituendam tali loco illam medietatem amissam, si per culpam ipsorum gravem ea amissa est. Semper suppono, hos esse Procuratores de officio, & stipendio, vel quia muneris suo est annexa procuratio, nam si eam ex charitate gerant, quovis peccaverint ad restitutionem non tenebuntur. Ita Mendo ibid. num. 57.

§. III. Explicans Caput illud Tertium. At super illis legatis, &c.

1. **S**I quando ad sint legata quaecumque tamen non fuerint facta ad exonerandam conscientiam; legata, inquam, live facta ante Bullae promulgationem, live quae fient post illam, durante anno tunc Bullae, quae quidem legata ut, utpote haeres legantis, solvere legatariis ad assensum teneris, si tamen dicti legatarii, adhibita mortali diligentia, inveniri non possunt, poteris tibi consulere per hanc compositionem non solum quoad partem, verum etiam quoad totum. Haec enim cum sint in hoc casu inerti Domini, debentur pauperibus, atque adeo sunt compositionis capacia. Differt hic casus à praecedenti in duobus, nam in praecedente notus erat Dominus. Et legatum factum erat ad exonerandam conscientiam, quae duo non sunt in casu praesenti.

2. Nota autem hic primo, si summa excedit decem mille Maravedis Hispanos mox explicandos §. 6. debere fieri compositionem per Commissarium, si non excedit posse per tot Bullas, quot mox eodem §. 6. dicemus. Et subadverte, quando compositio fit per Commissarium, debere eiusmodi haerem iurare se diligentiam moralem adhibuisse ad inveniendo legatarios modo universaliter explicando §. 5. *fine*, quod iuramentum non requiritur, cum per Bullas, &c.

3. Nota tertio. Quod dicitur de legatis praedictis incertis, de fideicommissis incertis, nam legata, & fideicommissa saltem in hoc aequiparantur, ut recte Vill. *tr. 2.9. n. 22.* Mendo *d. 34. c. 4. n. 43.* alique.

4. Nota quarto id quod infra dicam §. 7. n. 5.

5. Nota quinto si Caius v. g. determinat personam Titio v. g. legat aliquam summam, quam à Titio furatus fuerat, vel quomodocumque ab illo habuerat, non posse praedictos Caii haereditas, uti compositione, quia tunc certus est creditor, & legatum illud potius est restitutio quam verè legatum.

Si defunctus habebat bona, super quae poterat componi, an iisdem possit componi haeres, dicam mox §. 4. n. 13.

§. IV. Explicans illud quartum Caput. Et super fructibus debitis ex omissione Horarum Canonicarum & fructibus ex redditibus Ecclesiasticis male perceptis.

1. **S**I quis Ecclesiasticus Beneficiarius non recitavit Horas Canonicas, vel Beneficium habuit sine titulo, vel aliud non Canonicè obtinuit, & tamen fructus Beneficij percepit, cum iniuste receperit, debet eos restituere, sed ut vult Mendo *d. 34. c. 3.* potest uti hac compositione, de qua loquimur; quantum debeat restituere; qui omittit Horas Canonicas vide Cast. Trull. *l. mox cit. Bardi p. 3. tr. 5. d. 2.*

Idem, si excommunicatus, vel suspensus, vel irregularis eos fructus percepit, idem, inquam, die in sententia eorum, & in casibus illis in quibus praedicti non faciunt fructus suos, de quibus vide Trull. *l. 3. de Bull. cas. 2.* Mendo *d. 34. c. 2. n. 28.* aliosque. Idem quod dicitur de Beneficiario non recitante Horas, die de pensionario, (propter eandem rationem) non recitante officium B. Mariae Virginis.

2. Hoc autem est quaedam conditio observanda, ut ultra duos Reales, quos cuiusmodi beneficiarius debet erogare pro una Bulla, quae remittit ipsi mille Maravedis Hispanos, mox explicandos §. 6. debeat dare alios duos Reales Ecclesiae in qua est beneficium, pro quo compositio expeditur, & sic pro aliis singulis Bullis quibus indiget Beneficiarius. Quod si summa à Beneficiario male percepta excedit decem mille Maravedis *ead. §.* mox explicandos, unde debeat compositio immediate fieri cum commissario, summa compositionis debet dividi, cuius altera pars media datur in subsidium belli, al-

Pars III.

tera tribuenda est pari modo Ecclesiae, ubi est Beneficium. Hunc sensum faciunt illa verba summarij vulgaris, quod in nostro regno distribuitur pro hac compositione *Che habbi de dare altri due Reali alla fabrica della Chiesa del Beneficio, &c. & volendosi componere di più s'offron l'ordine dichiarato sopra.*

3. His declaratis, Nota primo, super distributiones quotidianas, si quando quis cum non interfuerit Choro, illas tamen accepit, non posse, ut volunt Henr. Rod. Lud. à Cr. cum Trull. *l. 3. cap. 2. n. 5.* alique, fieri compositionem. Ratio est manifesta, quia haec accrescunt interessentibus, ergo cum Dominus sit certus, non est locus compositioni.

4. Idem propter eandem rationem dic de fructibus Beneficij cuiuscumque, quando ex speciali statuto, vel consuetudine legitima aliis sint attributi. Lege Andream Mendo, qui tandem concludit, id esse, saltem tanquam tutius amplectendum.

5. Nota secundo, nec item posse, ut vult Trull. cum aliis *ibid.* compositionem super redditus, quos forte percepit Parochi, vel Episcopi non residentes ultra tempus ipsi à Trid. *sess. 23. c. 2. de Reform.* concessum. Ratio est, quia ibi Concilium prohibet, ne de iis fiat compositio; & ex alia parte non apparet in Bulla hac revocari huiusmodi prohibitionem.

6. Idem rectè docet Lud. à Cruce de fructibus, qui non rectè perceptis ex Beneficiis incompatilibus, quia à Trid. citato non residentes non possunt, ut modo dictum est, componi; at ille qui habet duo Beneficia incompatibilia non potuit in utroque residere & ita testatur dictus Lud. respondisse Commissarium Cruciatæ de hac re interrogatum? sed bene notat Mendo *d. 34. cap. 3. n. 36.* posse componi de fructibus Beneficij, ubi forte resedit, quia, quoad hoc non repugnat Trid.

7. Nota quarto, quid de fructibus Beneficij vacantis? Respond. De his fasè loquentem legi posse Trull. *l. c.* qui denique ait, fructus tempore veræ vacationis provenientes, in sententia multorum debere successoribus, vel convertendos esse in Ecclesiam utilitatem atque ideo cum sic certi sint creditores, non haberi (ut aliqui censent) locum compositioni.

8. Dixi (ut aliqui censent) nam ceterum ipse idem Trull. *l. c.* cui adde Mendo *d. 34. c. 3. n. 42.* putat, etiam super fructibus veræ vacationis prodisse compositionem, tamen successoribus deberentur (de qua tamen re hoc est cui debeantur tales fructus est sollemnis quaestio: & tandem Suar. *l. 4. de Relig. c. 53. n. 26.* dixit consuetudinem legitimam cuiuscumque loci esse servandam.) Ratio propter quam super his compositio possit expediri, est, quia adhuc antequam successor illos sumat, sibi que vendit, sunt in dispositione Pontificis, qui Commissario delegavit potestatem super illis compositionem concedendi.

9. Nota quinto, non posse, rectè Lud. à Cr. *disput. 3. d. 18.* Trull. *l. 3. cap. 2. n. 5.* expediri compositionem super stipendiis pro Missis celebrandis male perceptis: nam constat, eas Missas esse celebrandas pro iis determinatis sive vivis, sive defunctis, pro quibus ij intendunt, qui stipendia seu elemosinam tribuunt; quare etiam si tu illorum non recorderis, neque illos scias; personae incertae nequaquam sunt, cum à Deo, ad quem pertinet earum fructum concedere, satis superque noscantur.

10. Nota sexto. Quid de Beneficiario cum distractione voluntaria Horas Canonicas recitante? Supponendo eam sententiam, quae docet recitantem cum voluntaria distractione non satisfacere in conscientia obligationi, quam inducit vel ipsa ratio orationis, vel Ecclesiae grave praeceptum.

Respond. Aliqui hunc negant, compositio indigeat aliqui affirmant; Ratio affirmantium est, quia ad orationem cum attentione faciendam obligatur Beneficiarius, atque adeo, cum peccet, nec ponat, quod ab ipso ratione Beneficij requiritur, contra iustitiam operatur,

Si 2

unde

unde cum obligetur fructus sic perceptos restituere, indigeat compositione, vel eos Ecclesiæ restituat. Ratio negantium est, quia esto is peccet contra Religionem, non tamen iustitiam, jam enim externè recitat, ad quod solum vi Beneficii teneri videtur. Utraque sententia est probabilis, lege Bardi in 2. edit. Bull. Cr. p. 3. ar. 5. diff. 2. c. 3. s. 1. 2. & ab eodem citatur, & non in omnibus approbatum Andreæ Mendo.

11. Huc reducitur illa Quæstioncula, an officium hodie omissum à similibus Beneficiariis, si cras ab eodem suppleatur, recitando officium duplicatum, satisfaciatur quoad iustitiam, etiam pro hodierno die, & sic non indigeat compositione pro ejus omissione?

Respond. Ita putat Suck. lib. 4. de Hor. Can. c. 29. n. 11. cum nonnullis aliis; sed contrè oppositum est, ut habet Bard. l. c. omnino tenendum, quia officium est additum ab Ecclesiâ huic diei quo elapso nulliter, quoad diem hunc suppletur. Neque obstat altero die suppleri aliquando posse Missam, quam hodie celebrare debeat Beneficiarius, non obstat, inquam, quia Missa regulariter non addita à dantibus pro ea elemosynam huic diei, quia ab ipsis solum spectari solet utilitas, & fructus Missæ, quæ regulariter a quæ habentur altero die. At officium additum est huic diei ab Ecclesiâ, quæ respexit ad hunc præcisè diem, ne scilicet dies ullus præteriret sine religioso cultu per officium.

12. Nota septimo. An hæres defuncti Beneficarii possit utiliter se componere de fructibus, malè ab ipso Beneficario perceptis, & nunc jam à dicto hærede alias legitime possessis?

Respond. non posse existimat Delugo disp. 21. de iust. à num. 116. quia compositio pro debitis certis, non videtur esse concessa, nisi illi qui ea debita personaliter contraxit, at hæc debita contraxit Beneficiarius, non hæres. Verum Bardi part. 3. tract. 5. diff. 2. cap. s. 1. 3. concedit, posse donec aliud non declaret Commissarius Cruciatæ, quia non apparet in Bulla, compositionem pro debitis certis esse solum ei concessam, qui illa immediate contraxit.

13. Atque, hac posita decisione, multo magis sequitur universaliter hæredem posse se componere super omnibus illis bonis, siue malè receptis, siue malè retentis, super quibus poterat se componere defunctus, dum inter vivos existeret, nam ad hæredes proveniunt bona defunctorum iisdem qualitatibus affecta, quibus apud defunctos erant.

§. V. Explicatur illud, si facta diligentia non invenitur creditor.

1. PRæter illud de medietate Legatariorum ex negligentia Legatarii, & præter dicta de fructibus perceptis in omissione notarum Canonicarum, semper in aliis requiritur, sicut supra dictum est, ut constet creditorem esse incertum, seu ignotum. Id autem constare debet per diligentiam morali modo factam, hoc est, ut adhibita sit ea diligentia, quam vir bonus, & timoratus in simili casu, consideratis, quantitate, & qualitate rei, apponeret in re sua; non enim eadem diligentia sufficit ad querendum Dominum pretiosi Adamantis, quæ ad Dominum unius, vel alterius auri. Et quidem de hac sufficienti diligentia exhibita, debet à debitore fieri iuramentum, quando fit compositio immediate cum Commissario, quando autem fit per acceptionem Bullarum, satis est, ut ipse debitor sit certus, illam fecisse, & hanc esse praxim affirmat Signatus Trull. l. 3. cap. 2.

2. Nota hic primo. An dicendus sim esse certus, an incertus, si sciam rem, quam ego ab eo, esse alicujus ex duobus vel tribus, vel quatuor, nesciam vero cuius in particulari?

Respond. cum Henr. l. 7. in d. cap. 35. n. 1. te dicendum esse certum; quare tunc res est dividenda inter illos pro rata dubii.

3. Quid si dubium versetur inter decem, quidem, viginti, centum?

Respond. Cum hæc res debeat morali & humanæ modo pensari, debet prudenti iudicio, inspecta qualitate personarum, etique quantitate, decerni an sit tantum dubium, ut res illa ad certitudinem potius, quam ad incertitudinem vergat.

4. Nota secundo. Quid si creditor certus sit absens?

Respondeo. Tunc sane, (ut rectè advertit Sotus lib. 4. de iust. quæst. 7. art. 1.) is erit per se loquendo, certus; absencia enim Domini ejus certitudinem non tollit. Dixi (per se loquendo) nam id limitat Henricus, l. c. & Lud. à Cr. disp. 3. d. 6. nisi res esset ad Dominum mittenda maioribus expensis, quam ipsa valeat, tunc enim æquiparatur rei incerti Domini. Sed advertit, hoc tunc locum habere, quando non speratur, fore opportunitatem tempus eam restituendi Domino, & quando debitor non tenetur illas expensas facere.

Quod ultimum ideo dicitur, quia quando res est incerta à te acquisita debes regulariter tuis expensis (si habeas unde) mittere ad Dominum juxta alibi à me dicta, & consequenter non suffragabitur tibi compositio.

5. Nota tertio. Quid si sub dubio debeam aliquam summam Titio v. g. Creditori mihi satis cognito, sub dubio, inquam, an illam debeam decem an quidem, an viginti, an nihil?

Respond. Putat Henr. l. 7. de ind. c. 13. §. 5. debere dari Titio aliquid juxta prudens iudicium, inspecto dubio, & spectata rei quantitate, de reliquo autem posse componi. Cujus decisionis illam rationem redderet, quia de eo quod est incertum, verè nescitur Dominus.

6. Inquires quarto. Si quis vendens v. g. vinum, facit se decem aureos per fraudes surripuisse in hoc oppido vel vicinia, ignoret tamen personas peculatores quibus damnum illatum fuit, utine, ac frui, compositione potest. Si enim eas noscendi spes elucet, debet diligentiam apponere, illisque inventis reddere, nec tunc licet, ut toties diximus, ad compositionem confugere.

7. Respond. Vill. tract. 29. n. 36. putat, non esse tunc compositioni locum, sed obligari vendentem restituere summam surreptam communitati, vel vendere vinum in illo eodem loco.

Addit Cast. de Bull. p. ult. §. 2. n. 15. hanc sententiam sequens rationem illam, quia tunc communitas est laica, quæ, cum sciatur, ipsi est restitutor faciendus, quo scilicet, quantum fieri potest, satisfiat.

8. Verum distinguendum omnino est. Si damnum illatum fuit communitati, accipiendo ab illis v. g. Thesaur. vel ab aliquorum cumulo, quia communitas est laica, ipsi Thesaur. seu cumulo faciendus est restitutor, ut qui damnum passi sunt refarciantur.

At si furtum fuit factum ex bonis variorum Civium, qui cognosci non possunt, tunc certe pars laica est incerta, nam (ut rectè Delugo disp. 6. de iust. num. 133. notat) nihil refert, scire, esse alicujus ex illa Civitate seu communitate, si enim id satis esset, usurarii & fructus debiti non essent incerta, quia licet, quinam sint ab ipsis laici, ignorentur, scitur tamen ex qua Civitate sint, Vnde ego lib. 8. in Dec. tract. 4. cap. 1. §. 3. num. 19. & de hac dixi.

9. Denique facta à me legitima compositio, si fortè appareat Dominus ad quid me obligabis?

Respond. Non pauci, ut Rodr. Villal. Luc. à Cr. quocitat, sed non sequitur Trull. l. 3. d. 4. n. 8. affirmant, obligari te, etiam ante sententiam ad restituendam competentem Domino id in quo factus es delictor. Ratio est iniqua, quia Pontifex per compositionem nec interpellatur, nec intendere potest juri alieno præjudicare, quare illam concedens, concedit sub conditione, si, seu, donec, Dominus appareat.

10. Contra, Non pauci, ut Henr. Vafez, Acoft. Trull. eos citans, affirmant, te ad nihil obligari in foro conscientie.

scientiæ, siquidem eiusmodi compositio facta est à Pontifice, qui cum sit administrator bonorum temporalium fidelium, quando hæc concernunt bonum spirituale, potest disponere de rebus, &c. & re ipsa disponit sine ulla conditione, quæ certè gratis asseritur, cum in Bulla, ne vestigium quidem illius appareat. Et quidem si id potest Princeps secularis per præscriptionem, cur non possit per compositionem Pontifex? item sicut si distribuit totum pauperibus, nihil tu debes postea Domino comparenti, ut omnes concedunt; Ita si per compositionem legitime tibi, & subsidio contra infideles auctoritate Pontificia divisisti. Hæc sententia est à nobis promptius amplectenda.

11. Dixi (in foro conscientie.) Nam, quia Bulla Cruciatæ, quanta est, solum respicit forum internum, potest esse condemnari à iudice tenet Trullench. l. 6. ut rem reddas Domino comparenti, & nunc post sententiam, non vero antea, debes iuxta sententiæ parere ac reddere.

12. Sed nihilominus valere etiam pro externo foro, docet Acolta q. 95. cui assentitur Delug. d. 6. de iust. n. 105. quia compositio est expedita absolute auctoritate Pontificis potentis liberare, atque sine ulla restrictione liberantur debitorem.

13. Prudenter autem atquit Bardi, valere quidem compositionem in foro externo, sed quia in foro eodem debet constare, eam legitime fuisse expeditam, constare autem difficile est, ideo regulariter illa non procedit, nisi in foro interno, semper enim creditor dicere poterit compositionem non fuisse factam super suo credito, non fuisse præmissam debitam diligentiam, &c.

§. VI. Explicatur quantitas, de qua quis componi valet.

1. Dux sunt viæ, per quas incedere potes ad compositionem acquirendam. Altera est per summationem tot Bullarum, altera per compositionem immediate faciendam cum ipso Commissario.

Si fiat prior via, quantitas, super qua fieri potest compositio pro una Bulla, sunt duo mille Maravedis, quæ in moneta Sicula sunt uncie duæ, tarenæ decem, & septem cum granis quatuor seu sunt scuta sex, tarenæ quinque & grana quatuor: fierique possunt summationes tot Bullarum usque ad quantitatem centum mille Maravedis, hoc est usque ad uncias centum viginti octo, tarenos viginti, & grana sex, seu usque ad scuta trecenta viginti unum, tarenos octo, & grana sex. Quare, sumendo, vel simul, vel successivè intra annum publicationis, quinquaginta Bullas invenies (si rectè rationem iniis) exinxisse dictam quantitatem centum mille Maravedis.

Nota, per unam, seu per singulas Bullas solvi debere Commissario seu Distributori Bullarum duos Reales à quocumque siue persona sit privata, siue insignis: hæc enim distinctio est, pro sumenda Bulla communi, non vero pro compositionis Bulla. Ita Bardi p. 3. tr. 5. diff. 1. cap. 3. num. 3.

2. Quod si Summa, pro qua fieri postulat compositio, excedit dictam summam centum mille Maravedis, tunc erit recurrendum ad posteriorem viam, id est, erit conveniendus Commissarius, ut ipse taxam suo arbitrio (nam non est definita pro omnibus) designet, iuxta personarum qualitatem, & quantitatem bonorum. Notat tamen Henr. l. 7. in d. c. 33. n. 1. solere designari decem, quæ à debitore in subsidium belli erogentur, pro singulis centenariis.

3. Inquires in hunc modum. Ego ex restitutione interdictorum debeo mille uncias aureas, vellem autem per priorem viam sumere Bullas quinquaginta pro extinctione unciarum Sicularum centum viginti octo, tarenorum viginti, & granorum sex, quæ sanè est mihi utilis

via, & pro reliquis per viam posteriorem componere me cum Commissario, possumne?

Respondeo, valde & licet posse. Ita Trull. d. l. 3. d. 3. n. 2. & 3. Quia, & id signate concedit ipsa Bulla compositionis, & ita praxis habet innixa in eo, quod commissario non est limitata quantitas, de qua componere ad prædictum suum arbitrium possit.

4. Subinquires. Vellem pro tota summa confugere ad Commissarium.

Respondeo, confugito, ut libet, propter eandem rationem, & ita notat Bard. p. 3. tr. 5. diff. 1. c. 3. n. 5.

5. Subinquires iterum. Debeo ducentas uncias Sicularum, mihi provideo de tot Bullis quot sufficiunt ad extinguendas centum; deinde aliquot post diebus sumo totidem Bullas pro aliis centum, legitime me gero?

Respondeo, Nimis teste Bard. l. c. num. 9. te illegitimè geris: debes enim ad Commissarium pro posterioribus centum recurrere, siue bona, siue mala fide eam divisionem feceris, siue etiam oblitus fueris invincibiliter, te debere ducenta. Ratio est, quia Privilegium, quod datur per receptionem tot Bullarum intrinsecè limitatum est, ad tantam limitatam summam materialiter, & non ad amplius.

§. VII. Condiciones requiritæ pro recipienda hac compositionis Bulla.

1. Prima est, ut iuxta dicta pro Bulla communi, à fidei baptisato (non est necesse, ut existat in statu gratiæ, ut notat Mendo d. 34. cap. 5. num. 38.) recipiatur summam huius Bullæ à manibus legitimi Ministri, data elemosyna, quam diximus §. præced. num. 1. sine, & quidem impressum, & signatum nomine & sigillo Commissarii. Debet autem is, qui vult compositionem, existere in Regno, ubi Bulla promulgatur, vel ad illud personaliter declinare, iuxta dicta superius de Bulla communi. Quare Neapolitanus v. g. qui Panormi incolit, vel obiter etiam per paucas horas Panormi manet, potest, dum manet, recipere hæc Bullam, vel componere cum Commissario, & consequenter, teste Trullench. l. 6. d. 2. liberari à restitutione bonorum, de quibus componitur.

2. Secunda conditio ut inscribatur nomen id, quod per occasionem clare diximus supra cap. 15. §. 4. Non requiritur autem, ut vult Mendo. diff. 22. cap. 5. n. 52. ut conservetur, quod etiam per eandem occasionem dictum ibidem est. Lege, si est otium, Mendo, & Bardi, loc. cit. qui contra hoc posterius asserunt, & solvunt obiectionem quandam non admodum necessariam.

3. Tercia, ut non aliena surripiat quis in confidentiam huius compositionis. Nota autem compositionem negari surripienti ex confidentia, non autem negari surripienti cum confidentia. Explico id asserendo verba Henr. l. 7. de Indulgent. c. 34. Non valet, inquit, compositio si iniuste hæc bona quis occupaverit tanquam ex immedato motivo aut sine principali. At non prohibetur compositio, si iam decreverat furta facere, aut ea diutius tenere. Hæc ille, cuius sensus est, non prohiberi compositionem si spes Bullæ inveniat iam voluntatem furandi, non autem illam moveat ad furandum.

Esse etiam confidentiam, potest cum Mendo disput. 33. num. 43. si quis quid foretur ab aliquo sperans, fore, ut illum quem nunc cognoscit, sit fluxu temporis ignoraturus.

4. Huc facit sequens quasiuncula. Si Petrus v. g. spe compositionis faciendæ retineat bona hæc incerta, nec restituat, sed nec distribuat pauperibus; peccat necne?

Respondeo. Si longa est mora qua retinet, peccat mortaliter, quia unusquisque obligatur statim restituere, dum potest. Adverto tamen quod si deinde expedit legitime compositionem, valet compositio. Ita Acolta in

expl. Bull. q. 32. *Lud. à Cr. de Bull. d. 3. dub. 13.* quia Pontifex negat compositionem surripienti in confidentiam Bullæ, non veto surripita retinere.

5. Adverte tamen quod si hæres, spe huius compositionis retinet legata, de quibus dictum est §. 2. & 3. non potest uti compositione, quia hoc in hærede non est solum retinere, sed in radice, est furare; idem dic in similibus.

6. Hæc ita satis, superque declaratis, inquires primo circa primam conditionem. An hæc Bulla compositionis prodest Fidelibus defunctis? Respondeo si defunctus antequam animam efflaverit, mandavit suo hæredi, vel alteri ut sumeret totas Bullas, vel, ut faceret compositionem cum commissario, utilis ei Bulla seu compositio erit. Ita Trull. l. 1. dub. 2. *Lege Andr. Mend. d. 33. c. 5. n. 50.* agentem in aliquo contra Trull. id quod rite solet fieri, quando, dum quis est mortui proximus, dubitat, an aliquid ex malè ablati habeat, undem andat hæredi, ut habita consultatione cum Theologis, si ipse debeat, hæres, sumat tot Bullas &c. Quod si is nil mandavit, utilis ei Bulla non erit, quia Bulla accipi debet nomine illius, cui ea profutura est; at non potest fieri nomine defuncti, id quod defunctus nequaquam mandavit.

Dices Quid faciet igitur hæres, si fortè cum hereditate ipsi adveniant aliqua defuncti bona, quæ ipsi constat esse aliena, dominumque inveniri non posse? Respondeo Curat ipse nomine proprio Bullas, vel compositionem, ut dixi §. 4. n. 3.

7. Inquires secundo, Circa conditionem tertiam. Quæ fuerant ablata ex confidentia huius Bullæ, & donatus ignoratur, si non sunt capacia compositionis, cum non restitui debent.

Respondeo pauperibus, vel locis piis, inter quos pauperes recte nominantur Animæ Purgatorii, quæ recte Mend. disp. 3. a. c. 4. n. 59. maxime indigent Missis, & suffragiis; ut etiam ipsa Monasteria, & ipsi item, secundum illam enim sunt loca pia, hi sunt, verè Pauperes voto perpetui adstricti, si illud rite servant. Pauperibus, inquit, vel locis piis deberent ex se ea restitui, ut disposuit Alexander Pontifex lib. 8. in dec. 17. 4. cap. 1. §. 3. n. 20. a. adductus.

8. Dico, ex se, nam quia in hac Bulla disponit Pontifex, ut ablata ex dicta confidentia applicentur in totum ad huius belli subsidium, ideo ita debere sub peccato mortali applicari, & non dari pauperibus, vel piis locis docet Trull. l. c. n. 19. ubi tamen viget consuetudo sic applicandi, ubi enim ea consuetudo non esset, abrogata iudicaretur hæc dispositio. Verum tantum rigorem peccati mortalis negat Bardi, quia in Bulla non est verbum inducens obligationem sub mortali, & ex alia parte mutare unum opus pium in aliud item pium, id est, quod debet dari expeditioni huic contra infideles, dare pauperibus, non est (nisi aliud addatur) materia gravis, saltem, ut plurimum. Atque hæc de Bulla compositionis breviter scripsisse sufficit.

